

**Rector academiae Upsaliensis  
Carolus Casparus Wrede, patribus  
civibusque ac...**


Wrede, Carl Casper,

*82 Aa 13/7*



RECTOR ACADEMIÆ UPSALIENSIS

CAROLUS CASPARUS  
WREDE,  
PATRIBUS CIVIBUSQUE ACADEMICIS  
S. P. D.



**V**T mortuōs decorē tumulo inferamus, & ab illorum exemplo communem nobis omnibus sortem recordemur, non pietas modo christiana, sed ipsa quoque præcipit humanitas. Credere quoque fas est, beatos defunctorum manes, si quidquam sentiunt aut curant eorum, quæ in terris fiunt, nulla re magis, quam isthoc officio lætari. Planctibus enim superstitum & inanibus lamentis delectari nequeunt, cœlestibus gaudiis permixti & circumfusi undique. Nostra quoque quid interest, nil profuturis querelis inexorabilem fatorum legem toties inculare, quæ nec solvi unquam nec mitigari potest? Potius ergo statim convertimur ad supremum illud officium, quod a nobis nunc exigit, funus præstantissimi Juvenis, ANDRÆ NIVELII Ostrobothniensis; qui natus in rusculo *Sylasoki* parentibus fortunâ quidem inopi sed integra fama, superiori anno ex Uloensi Schola, cui per annos novem interfuerat, in hanc almam Musarum sedem migravit. A quo tempore ulus valetudine parum prospera, intestino morbo vires ejus sensim debilitante, versus exitum præteriti Junii mensis pie ac feliciter ex his mortalitatis ærumnis solutus, ad beatiorem vitam transivit: anno ætatis suæ tertio & vigesimo. Reliquiæ ejus condentur sepulcro hodie hora prima post meridiem, quando ære Campano signum dabitur. Itaque Patres Civesque tam Academicos quam urbanos humaniter rogatos volo, ut isto tempore in templum Cathedrale coeant; ubi simul & ultima demortuo justa persolvemus, & nobismet ipsis adversus quosvis mortalitatis casus, ac rerum humanarum subita atque incerta, ex divinis oraculis ac præceptis robur aut solatium quaesituri sumus. Upsaliæ d. 13. Julii Anno salutis 1690.



